

**Antonii Scarpa dudum in Mutinensi ... oratio de promovendis
anatomicarum administrationum rationibus ad tyrones habita in audit.
magno archigymn. quum trad. anatom. munus publ. auspicaretur. VI. cal.
Decemb. ann. MDCCCLXXXIII.**

Contributors

Scarpa, Antonio, 1752-1832.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Ticini] : [Typis R. & I. Monasterii S. Salvatoris], [1783]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n3hp39zj>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(6)

ANTONII SCARPA

dudum in Mutinensi, nunc in R. Ticin. Archigymn.

P. Anat. & Chirurg. operat. Profess.

ORATIO

DE PROMOVENDIS

ANATOMICARUM ADMINISTRATIONUM


RATIONIBUS

AD TYRONES


HABITA IN AUDIT. MAGNO ARCHIGYMN.

QUUM TRAD. ANATOM. MUNUS PUBL. AUSPICARETUR.

VI. CAL. DECEMB. ANN.



MDCCLXXXIII.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22288752>

(III)

VIRO CELEBERRIMO,
DOCTISSIMOQUE
D. JOANNI ALEXANDRO
BRAMBILLAE
CAESARIS
CHIRURGO LONGE EXPERIENTISSIMO
EC. EC.

ANTONIUS SCARPA

S. P. D.

Orationem inauguralem, quam pa-
cis retro diebus habui coram Auditio-
ribus praeclarissimis, doctissimisque,
publici juris facere jubet receptus

jamdiu mos in celeberrimo hoc Archi-
gymnasio , tum Amicorum judicium ,
qui non inutilem omnino Tyronibus
in re Anatomica futuram pollicentur .
Hanc quum leviter evolveris , Vir Cl. ,
facile intelliges minime in animo mi-
hi fuisse certas , & immutabiles dis-
sectionum leges , & formulas statuere ,
quo nil Anatomicae disciplinae perni-
ciosius fore crediderim , sed receptas
promovere , & novas quasdam propo-
nere , ut simul consilii mei in traden-
da Anatome rationem ab initio pa-
tefacerem , simul Auditoribus meis
quamdam veluti normam , qua in sec-
tionibus , & injectionibus instituendis
utantur , ostenderem , arbitrio eorum
alioquin permittens , ut pro suo quis-

*que ingenio eamdem deinceps , &
quam multipliciter immutet; ratus hac
una, atque unica ratione ad cognitio-
nem earum rerum pervenire nos pos-
se, quae circa hominis fabricam la-
tent adhuc in abdito .*

*Hanc vero , quaecumque ea sit ,
elucubrationem Tuo nomini inscribere,
Vir Cl. , decrevi , quod & in Anato-
micis peritissimus , & harum rerum
aequus aestimator nihil unquam anti-
quius habueris , quam ut Anatomicam
disciplinam , artemque salutarem totis
viribus promoveres , ejusdemque cul-
tores gratia exciperes , & prosequerere .
Debeo jam multa humanitati erga me
Tuae , quae porro augentur in dies ,
pro quibus & gratias ago cumulatissi-*

*mas, & opportunam hanc occasionem
lubens arripio, ut publice referam.
Vale.*

Dabam Ticini Idibus Decemb.

DE PROMOVENDIS
ANATOMICARUM ADMINISTRATIONUM
RATIONIBUS.

O R A T I O

A D T Y R O N E S .

Egregie cum scientiis , prudenter , utiliterque cum earum Professoribus actum est , ut in ipsa muneric auguratione , tamquam consignata publice norma , institutionis suae disciplinam profiterentur. Nempe cum in scientiis , & artibus novari multa , multa antiquari in annos contingat , multaeque , & variae disputationum hypotheses saepe tractentur , utile porro visum est fore , ut quae cuique

A

placeat sententia , quae doctrinae ratio futura sit , vel ab initio innotescat .

— Nescio autem quo fato fieri dicam , ut quod in rebus admodum dubiis , plerisque omnibus commodum , id mihi uni in re certa permolestum , & grave videri possit . Nempe , ut de me primum , deinde de ipsa re pauca dicam , sentio , Auditores , quam grave mihi , quam periculosum sit onus impositum , qui & ad anatomen , & ad locum amplissimum , & opinione maximi PRINCIPIS sim evocatus , ut omnino necesse sit magnam omnibus de me expectationem esse proposi tam . Sed commoveor etiam magis dum reputo in quam saeculi lucem , in quantam artis amplitudinem inciderim , in qua non liceat aut mediocre quicquam , aut medio criter elaboratum proferre . Versari enim me video in ea provincia , quam summi ante me viri , praeclarissimi Philosophorum , totis

viribus excoluerunt. Nam, ut praeteream Malpighium, Ruyschium, Albinum, Meckelium, saeculi lumina, & magnum Halleri nomen, Morgagnum tamen artis principem, quo praceptor, Hunterum tam multis, & magnis rebus praestantem, quo etiam amico nuper utebar, non praeteribo; quorum omnium vigiliis, auctoritate, doctrina, praeclarae huius artis decus usque adeo firmatum est, ut eorum institutis nec adiici quicquam temere, nec permutari, aut demi posse videatur. Quo magis intelligo metuendum mihi fore summopere a judiciis hominum severiorum, ne si forte novare aliquid videar conari, levis animi, & imprudentis accuser, si emendandum susceperim, etiam notam temeritatis incurram.

De re autem ipsa, de anatome, quo magis omnia, & diligentius perpendo, quam concipiam animo spem, quid consilii capiam

eo minus intelligo. Versari eam utique in demonstratione rerum , quae in sensus incurruunt , quae ferro , quae manu atrectantur : sed quum tot inter inventa , tot mira crescentes ambages artis considero , quum effectus operum supervacuos , quum inanes praeparationum subtilitates , & infinitas prosectorum disputationes ; tum vero intelligo quam incerta , quam manca , & caeca sint omnia , quam magnis tenebris rerum penne omnium medio in verborum fulgore obruamur . Nec vero deesse quicquam administrationum subtilitatibus videri potest : sed quum historiam rerum percontor , quum seriem inventorum contemplor , admiror magis sapientum nostrorum solertiam , qui inventis dissectionum artificiis , arcana quaedam strukturarum mysteria , quae omnem aciem humani sensus effugiant , tamquam ex imis naturae adytis nonnunquam eruere potuerunt ;

quae jamdiu exoptata , quaesita incassum tot
hominum studiis laterent adhuc in abdito,
ni felix , & ferax quorumdam sagacitas ,
inventis novis administrationum artificiis ,
naturae latebras reserasset . Quo ego con-
stanti rerum experimento permotus , non
aliud fore unquam novatae operaे pretium
existimavi , quam si promovendis , variandis
nempe , mutandis , perficiendis , quoad fieri
possit , dissectionum rationibus incumbamus .
Id fore hodie mihi , vobis judicibus , susci-
piendum , quod si improbaveritis , sponte
abjiciam : si vestris suffragiis vicero , futuram
hanc mihi metam sedulitatis , industriae , vi-
giliarum augurabor . Oblector autem in his ,
atque etiam erigor auctoritate imprimis ve-
stra , & exemplo , Patres sapientissimi , quo-
rum fama stat huius Archigymnasii celebri-
tas , quorum inventis scientiarum penus au-
gescit , & locupletatur in dies , qui nempe

non imitandis experimentorum periculis, non iterandis alienis, sed eruendis, excogitandis, tentandis novis utilium rerum incrementa scientiis, & artibus attulisti, quorum ego benevolentia, & favore hanc hodie suscepti muneric partem pleniore animi securitate conficiam.

Quum illud e natura esse maxime videatur, ut anatomicam administrationem a communibus corporis velamentis instituamus, tum illud potissimum inter anatomicos est receptum, ut eadem corporis tegumenta in cuticulam, reticulum mucosum, & membranam adiposam dividant, & sectione distinguant. Ut vero est nonnullorum etiam in minimis ingeniosa subtilitas, non desunt inter recentiores, qui id ipsum reticulum in binas iterum laminas sejungi posse arbitrentur. Numne ergo ex hoc hodie loco sen-

tentias hominum doctissimorum ego potissimum tanquam refutaturus insurgam? repugnat animus vehementer, praesertim homini ad obsequium, modestiamque instituto. Sed quum suscepti muneric ratio, & veritatis religio id onus mihi vel repugnanti proponat, ut rerum auctoritas sit multo mihi potior quam hominum, enitar profecto, Auditores, ut omnia a me sine injuria cuiusquam, sine partium studio, sed sine fuso tamen audiatis enarrata, & proposita diligenter.

Ergo ut nihil horum sedulitati detrahendum arbitremini, qui talia proposuerunt, illud pro certo habetote, iteratis celebriorum anatomicorum observationibus, mucosum corpus, atque cuticulam unum atque unicum humani corporis tegumentum, ad cutim intus molle, extus condensum, atque compactum haberi oportere: quo fit, & jure, ut nequeat a cute cuticula sine mucoso

corpore separari, neque haec ab invicem sine abrasione, atque etiam difficulter elevati. Proin vitio dissectionis vertendum quicquid de generali tegumentorum in mucosum, & cuticulam divisione, quasi natura essent inter se distincta tegumenta, prosectores studiosae ostendunt iuventuti (a), quemadmodum, & ex nimia sectionum subtilitate errores

(a) Si quis censeret hanc dissectionis rationem, tametsi minus ad naturae normam institutam, retinendam tamen esse in scholis, quod multum sit tyronum animis, & captui accommodatam, quaererem, num opportunum valde, & commodum in tradenda Anatome sit falsis rerum imaginibus veram humani corporis fabricam demonstrare. Ego autem in hac re oppido perspicuum, ut rei naturae magis consonum reperio unum, atque unicum universale corporis tegumentum cuti superextensum ostendere, quod intus molle, & mucosum, sulcis, & cavernulis ad excipiendas nerveas papillas reticulatum sensim, sensimque densum magis, & compactum evadit, quo ad extimam pertingit corporis superficiem.

res illos in nonnullorum scripta irrepsisse
putandum est, qui mucosum reticulum cribri-
formiter perforatum, ut adornatis Bidloi ta-
bulis repraesentatur, & alia similiter de cu-
ticulae incisuris, quas constat plicato intus
cum cuticula, cutisque sulcis impresso reti-
culo conformari.

Num vero felicius illi, qui ungues, pi-
los, quod a subiectis facile avulsi cum cuti-
cula valde cohaerent, a mucoso & cuticula
tamquam propagines derivari proponunt? at
nobis equidem non pauca sunt, neque le-
via, quae ostendant unguium naturam, at-
que elongationem, dum vivimus, non utique
ad cuticulae modum coagmentari, certisque
constat observationibus pilos altius sub cuti-
cula, & mucoso corpore suis quosque radi-
cibus inhaerescere.

Quemadmodum vero a communibus ve-
lamentis viscera, & membra circum cuncta

cinguntur; ita cellularis quoque tela musculos omnes, carnesque convestit, simul connectit, revincitque cum proximis, simul interfusa fibrarum fasciculis immiscetur; quo ritu ex fibris lacertus, ex lacertis musculi coalescunt. Proin resoluto hic illic cellulari textu musculos equidem administramus: sed vetat id ipsum ratio ne subtiliter nimis instituamus; nempe, ne post habitis naturae limitibus, musculos pro lacertis, aut lacertos pro musculis, multiplicatis nominibus, obtrudatis.

Ex quo profecto quum tota pendeat motionum corporis oeconomia, quum ex incerta muscularum prosectione labare omnem artis peritiam, & phoenomenorum notitiam in obstipis, in luxatis, in fractis necesse sit; nonne jucundum vobis, perque opportunum fore crediderim, Auditores, si investigandi totius corporis musculos rationem certam &

definitam veluti normam pro partium poti-
tu , mobilitate , figura constituamus ?

Ea autem in re probamus imprimis at-
que sectabimur ordinatum illum ab Albino
corporis positum , qui simplex fit , & maxi-
me secundum naturam finitus , erectum nem-
pe in crura atque caput , pendentibus spon-
te brachiis , sic ut volae femoribus obversae
sint , digitique recti , facie , collo , pectore ,
ventre , pedumque priori parte in eamdem
plagam aequabiliter versis . Quo situ , positu-
que corporis saepe variato , perpenfis dili-
genter per singula singularum partium muscu-
lis , nexibus , & mutationum figuris , lice-
bit deinceps facile in singulis , & universis
pro statu , pro gressu , pro conversione
corporis varia quid cuique eventurum sit
intelligere .

Sectionis vero rationem quod attinet ,
ubi plures fibrarum fasciculi , quamquam

cellulari hic illic passim atque alte interfuso
in unum coeunt musculum, non illico ta-
men tot musculos quot fasciculos propriis
nominibus distinguendos putetis: nec certam
subesse causae rationem cur partes quotlibet
in unum musculum coalescentes in totidem
ad libidinem musculos dirimatis; nisi forte
leve illud putabitis accumulari vocabulorum
farraginem, & rei anatomicae facultatem di-
ductam verbo reipsa angustiorem evadere.
Numquid brachii extensorem musculum, si
in tres divisoris, & adjectis nominibus desi-
gnaveris notiorem reddas, quam qui ex tri-
bus initiis eumdem coalescentem demon-
strant? Nempe hinc & bicipites, & tricipi-
tes nominamus, quos qui in imponendis,
congerendisque nominibus famam captant
possint quam facile in multo plures exscin-
dere. Quibus praexceptis, institutisque ma-
gnus Albinus mirum quantum anatomicis re-

bus perspicuitatis adjecerit, atque artem rediderit juvenum animis accommodatam.

Profecto, ut muscularum generalis divisio certis quibusdam finibus continetur, ita & singulorum muscularum administratio statutas quasdam habet regulas & maxime necessarias, quas qui neglexerit, frustra speret muscularum actiones in vivente homine se posse intropicere.

Illud enim esse vobis maxime cautum oportet, ne in perscrutandis musculis eorum connexus, tum figuram a naturali vehementer mutetis; quandoquidem turbari per haec, aut penitus tolli eorum, quae e natura in vivente contingunt, notitiam perspicuum est, & necesse. Atque id multo etiam magis in his, quorum actio multiplex pro varia partium flexione atque positu diversimode complicatur, praestiterit, integris adhuc & membris & musculis, servato, restituto, in-

verso corporis statu , figuras omnes , & mutationes scrutari , ut horum quotquot e natura sunt motuum rationes percipiamus . Sic biceps musculus , quem brachii flexorem vocamus , cum manus prona est vertit in supinam , supina cum facta est flectit cubitum . Pronatorum , Supinatorum muscularum actionem nullatenus in cadaveribus possumus imitari , nisi partium , in quas se musculi inserunt , flexionibus iteratis .

Leviter quidem haec de libera muscularum actione , prout vario fibrarum incessu atque ordine , variatis partium figuris , inserviunt ; quandoquidem & in sensus hominum facile incurruunt , & cuivis paullo attentius consideranti obversantur . Sed est quicquam aliud praeterea animadversione valde dignum , in quo motionum pene omnium , quae in animali contingunt , vis atque ratio maximam partem versantur . Numquid enim

non etiam variata partis mobilitas , nixus , intentio actionem musculi multiformiter immutat atque determinat ? Porro equidem , incitatis musculis , moveri mobilem partem , adducique ad immotam necesse est quaqua-versus , perpetuo : receptumque est in arte hac parte mobilem musculum haber , hac certo immobilem , infixumque inhaerescere . Quid vero si inversis vicibus aliquando naturae vis , & potestas intentam ex adverso partem musculo objiceret ? Si intentis acriter , & immobiliter musculis partem firmaret ? Si quae immobilia & fixa censentur idem musculus aliquando adduceret , torqueret , converteret ? Nonne contraria lege contrarios motus fore expectandos putetis ? Quae qui considerant , non jure opinor musculos pelvi antice , & femori adnexos , tum eos , qui cristae ossis ilium , & tibiae sunt alligati alteros femoris flexores , alteros cruris extensores nominant

potius quam pelvis & trunci flexores, si iidem musculi, quum genu immobile factum est, pelvim ac totum simul truncum flectunt, & ad anteriora supra caput femoris rotant. Quorsum musculos, qui postice pelvi & femori cohaerent, tum eos, qui ab ischii tuberibus ad crus postice exporriguntur, alteros femoris extensores, alteros tibiae flexores nominant, si uterque muscularum ordo, dum stamus, flexo ad anteriora truncu, pelvim rotat ad posteriora & inferiora, atque totum truncum erigit? Pedis extensores quos dicunt musculi femoris tuberibus postice, & talo connexi, firmato pede, femur supra tibiam, & genu flectunt. Extensores digitorum pedis, firmatis solo digitis, tibiam ad anteriora trahunt. Brachii flexores nonnulli, tum extensores musculi, immoto brachio, scapulas diversimode movent. Thoracis musculi scapulis simul & costis adnexi, modo sca-

pula-

pularum motibus famulantur , prout alterutrum puncti fixi vicem gerit . Biventer maxillae sub certis circumstantiis maxillam inferiorem a superiori deducit , vicissim superiorem ab inferiori dimovet , & caput retro trahit , demum idem musculus ad laringem , & pharingem elevandum conductus . Quibus porro praexceptis haud quidem adamussim inhaesisse videntur ii , qui musculos ossibus ischii , & cavernosis penis corporibus alligatos penis erectores nuncuparunt , quos certum est penis cavernosa corpora trahere potius ad inferiora . Ita quoties illorum muscularum , quos femoris extensores vocant , descriptionem apud nuperos , & quidem magnae notae Scriptores considero , toties cupio vehementer , ut quid pro femoris extensione intelligant , velint clarius exponere . Namque , si extensionem dicunt eam muscularum femoris actionem , qua flexum prius in priora femur

ad lineam corporis longitudinalem reducimus, recte quidem docent; si vero ex linea longitudinali cum reliquo corpore extendi posse femur, atque ad posteriora duci, immoto truncō, arbitrantur, ajo nullam omnino femur extenſionem habere; quod unicuique vestrū facile patebit juncturam femoris cum acetabulo in recentissimis cadaveribus examinando, tum advertendo femur a vivente, & erecto homine nullatenus ad posteriora duci posse, quin eodem tempore truncum ad anteriora flectat. Longum effet in praesens uniuscujusque musculi actiones multiplices pro varia partium, quibus alligantur, mobilitate persequi, atque explanare; indicasse sufficiat quantum Myologia incrementi capere posset, si, emendata vulgari musculos investigandi ratione, in eorum usibus saepe multiplicibus considerandis, pro mutata partium, quibus necuntur, mobilitate, accuratius anatomici incumberent.

Sed illud quoque in muscularum negotio rescisse expedit vehementer , eorum cum ossibus cohaesioneis, atque connexum omnino magnam haberi oportere rationem : in quo quum maximam naturae solertiam admiror , tum multo majorem , quam hactenus factum est, anatomicorum sedulitatem desidero . Vix enim multos invenias musculos, qui non variatis admodum inter se rationibus subtensis ossibus alligentur . Quidam enim, soluto penitus corpore , per extrema cohaerent ; quidam per totum aequabiliter ossibus annectuntur ; quo artificio perspicuum est quam magna compendia ad motus incitandos , re-fraenandosque natura sibi comparaverit . Hinc porro , opinor , videmus vastos , atque cruralem robustissimos musculos genu , atque tibiam valide quidem, sed certos intra fines, extendere , non ita vero definitam esse vim , atque actionem muscularum crus flectentium ,

quorum plerorumque corpora ab ossibus soluta sunt, atque libera. Quod profecto luculentius apparet, quum, fracto casu viri hominis femore, crus ejusdem lateris in flexionem adducitur, ibique, volente, nolente aegro, vehementer retinetur non sine magna flectentium muscularum rigiditate. Fracto itidem humero trahitur in flexionem brachium bicipitis cum insueta tensione, quippe qui corpore ab ossibus solutus est, atque liber. Quae porro doctrina de diversa muscularum cum ossibus connexione, ubi aliquando fuerit diligentis dissectione illustrata, quantum in chirurgicis pro facilitiori luxatorum, aut fractorum ossium repositione afferre possit utilitatis, vel me tacente intelligitis.

Hactenus musculos, ceu funes subtensos vectibus, machinisque animalium, qua forma, in quos usus, quibus vicibus fungantur in corpore, ut scita dissectione expediantur

per summa capita commemoravimus. Sed alterum instrumentorum genus est, in quo & magni usus naturae versantur, & exerceri anatomicam sedulitatem, atque industriam oportet. Vocant id ligamenta, queis, tanquam vinculis, & retinaculis, roborata compages muscularum, atque ossium, simul ad multiplicem motuum varietatem, simul ad robur, & firmamentum corporis solidatur. Quemadmodum vero non unum, idemque est omnibus ossibus juncturae genus, neque eadem tendinum ubique directio, ita non una eademque est ligamentorum forma, atque robur, sed pro vario articulationum genere, & motuum amplitudine ligamenta varie ossibus circumdata, atque tensa fuerunt; hinc alia capsulae ad instar ossium articulata capita revinciunt; alia funiculorum ad modum arcte simul ossa conjungunt; alia demum in fasciculos, & strata fibrarum explanantur.

Capsularium, atque teretium ligamentorum administratio haud equidem admodum operosa est, neque ulla esse suspicio potest, horum ligamentorum formam, atque numerum praepostera dissectione mutari, aut sine necessitate augeri; propterea quia adeo per se ipsamet natura sunt definita, ut nulla fere indigeant praeparatione. Sed non ita censendum est de lacertosis, ut vocant, ligamentis, in quibus fibrarum decussatio, incessus saepe multiplex infinitae propemodum divisioni ansam praebent. Cujus rei exemplum habetis in Cl. Weitbrechti Syndesmologia, qui in manu centum & viginti quatuor circiter ligamenta, centum vero & duodecim circiter in pede reperiri affirmavit. Cujus ego Viri, caetera clari, si patientiam aliquando fuerim vehementer miratus, non reputaverim tamen fore quemquam ex vobis, qui eamdem sibi subtilitatis laudem prome-

rendam proponat . Quemadmodum enim de muscularum divisione supra dictum a nobis est , ita & de lacertosis ligamentis sentendum esse reor , certos nimirum quosdam divisioni limites esse ab anatomicis statuendos , ne novis fine causa inductis vocabulis caliginem potius , quam perspicuam scientiae claritatem afferramus . Lacertosa etenim plura ligamenta aliud nil sunt , quam unum saepe ligamentum , cuius segregatae , & dehiscentes fibrae plura simul jungunt ossa . Non inficior singulos cuiusque majoris ligamenti fibrarum fasciculos , quo vergant , quibusve osibus alligandis inserviant , persequi & opportunum esse , & scitu perutile , praesertim his , qui subtiliorem anatomen excolunt , sed nullius prorsus utilitatis in re anatomica esse censeo singulos unius ligamenti fibrarum fasciculos in tot peculiaria minora ligamenta , additis nominibus , distinguere ; quandoquidem ,

praeter rei ipsiusmet naturam, id facere vetat inconstans ordo, incessus, atque numerus fibrarum, quae pro subjectorum varietate ex majorum ligamentorum lacertis exporriguntur.

Haec, queis crassior structura corporis continetur, & materiata compages tegumentorum, carnium, ligamentorum. Pertenues autem vasorum reptatus, & occulta viscerum, & mirabilem illam nervorum implicationem toto corpore pertinentem putabis, arbitror, tot annorum vigiliis fuisse tandem exacta penitus, & evoluta? Evidem non is ego sum, qui laboribus cuiusquam detrahamb, qui quaesita tot curis, tot laboribus clarissimorum hominum merita extenuem: sed fatendum est tamen in subtiliori anatome nedum ab arcanis naturae, sed a recta quoque partium administratione constitutam hactenus disciplinam, atque artem vehementer distare.

Jam-

Jamque , ut a nervis incipiam , intelligitis arbitror ipsi per vos quam manca , & inepta illa sit dissectionis ratio , qua anatomici nonnulli solent nervos e cadavere exemptos ordine eleganti magis quam vero deponere in tabulas , quales illas fuisse appareat , e quibus celebres nevrologiae instauratores Willius , & Vieussenius vulgatas jam nervorum descriptiones , & delineationes ordinavere ; in quibus neque origo nervi , nec progressio , nec exitus , quibus terminis definiatur , satis appareat . Quamobrem illam nervos secandi methodum in universum anteponendam esse censemus , qua nervi ab ipsorum origine ad ultimos surculos , naturali eorum servata sede , administrantur , quiique inter ipsos superficiales a profundis distincti , qua incedant directione , quibus vasis sanguiferis socios se addant , quibusque musculis , organis sensuum , & visceribus prospiciant , una simul , &

eadem praeparatione, eodemque in subjecto percipiamus.

Viscerum equidem nervos quod spectat, tantum abest, ut e naturali eorum sede ablati claram, atque perspicuam de eorum distributione in homine imaginem exhibeant, ut potius necesse omnino sit cum ipsosmet nervos, tum viscera, quibus inserviunt, quam minimum fieri potest loco movere, ne inordinata, aut non naturalis viscerum collocatio distributionem, numerum, atque incessum nervorum plurimum immutet; cuius rei illustre exemplum habetis in nuper editis a Cl. Waltero nitidissimis quatuor nervorum tabulis (a). Hac enim una, atque unica secandi methodo ad cognitionem eorum pervenire possumus, quae circa gangliorum, & plexuum collocationem, eorumdem reticulatum opus, modum vasa irretiendi, mirabi-

(a) Acad. de Berlin. an. 1780.

lem filamentorum quaqua versus distributionem versantur, tum & rationem assequi, quia minores surculi penitiores subeant viscerum recessus. Et quoniam nullum, ut arbitror, supereft dubium, quin viscerum nervi, mutuatis partim a cerebro, partim a spinali medulla filamentis, compingantur, curandum sedulo est, ut qui sit naturae modus in componendis viscerum nervis, quaeque inter spinalia, & cerebralia, quibus constant, filamentsa proportio sit per anatomen innotescat.

Siquidem cum in humano corpore plane multi sint nervi, quorum rami partim visceribus sentiendi facultatem tribuant, partim vero muscularum motui famulentur, operaे pretium esse arbitror duplicem hunc distributionis ordinem in unoquoque nervo persequi, &, quantum per anatomen licet, patefacere. Qui enim partitis vicibus horum

nervorum ramos , pro diversitate partium , quibus inserviunt , administrant , non adeo claram , atque perspicuam distributionis horum nervorum notitiam acquirunt , ac si multiplices cuiusque nervi ramos , partibus , fabrica , & usu inter se discrepantibus , una simul investigarent . Et quoniam , ut supra innuimus , illud est naturae institutum in nervorum distributione , ut iterato saepe in ipsorum incessu inter diversae originis nervos coalitu , novos alios nervos componat ex filamentis , quorum singulis diversa , atque distincta origo est in cerebro , & spinali medulla , vel in utriusque , facile intelligitis , arbitror , hanc nervorum compositionem , quae tam late patet in universo nervorum sisteme , & multorum est phoenomenorum in animali oeconomia instrumentum , nullatenus cognosci posse nisi ab illis , qui plurimum simul nervorum in eodem subjecto di-

istributionem, & multiplices inter se coalitus sedulo perquirant, atque considerent. Artuum inferiorum nervi ex. caus. ab iisdem radicibus spinalibus sunt, e quibus contenta in pelvi viscera nervos accipiunt. Artuum itidem superiorum nervi radices habent cum phraenico, & nervis viscerum thoracis communes, dorsales caeteri nervi ramos partim contentis in imo ventre visceribus, partim musculis thoracis, & abdominis largiuntur: Viscerum demum nervi non modo ex filamentis spinalibus numero pluribus, aut paucioribus constant, prout magis, aut minus a cervice distant, verum etiam in ipsorum compositionem filimenta e pari quinto, sexto, & octavo nervorum cerebri recipiunt. Quod si duplex est nervorum spinalium distributionis ratio, partim nempe ad musculos, & extimam corporis superficiem, partim ad viscera, non possumus profecto illorum

consilium probare, qui spinales nervos, & intercostalem, quasi nervi essent inter se omnino distincti, seorsim, & particulatim administrant, dum ostendit anatome utrosque ab iisdem plane originibus, atque radicibus, magna saltem ex parte, deduci.

Nec quicquam variant, quae indicabimus de nervorum, qui sensuum organis prospiciunt, dissectione. Nemo enim in anatomicis versatus ignorat organa sensuum plures nervos recipere, quorum unus dumtaxat cuiusque organi proprius est, & peculiaris, caeteri autem auxiliares veluti sunt, & organo, ut vocant, immediato subservientes. Mitto organum tactus, cuius multiplex adeo nervorum ordo administrationem nimium reddit difficultem, caeteraque organa considero, visus nempe, olfactus, auditus, gustus, quorum plerisque duplicem auxiliariorum nervorum ordinem tribuit natura. Nervum enim

opticum, & retinam comitantur intra oculum ciliares nervi ex filamentis coalescentes tertii & quinti nervorum cerebri. Nervo olfactorio intra nares socios se addunt surculi ab ophtalmico, & maxillari superiore paris quinti. Auditorium nervum comitatur portio eiusdem nominis dura. Linguam praeter ramum paris quinti adeunt nervi ab octavo, & nono cerebri. Anne ergo hoc ipsum naturae institutum in tribuendis unicuique organo pluribus nervis rationem administratio- nis ostendit? Numne aptius propterea, & studiosae juventuti utilius esset nervorum, qui ad organa sensuum feruntur, sectionem ita instituere, ut cum proprii, tum auxiliares nervi una simul in eodem organo con- spicerentur? Anne demum per hanc secandi rationem ad multorum phoenomenorum ex- plicationem illustrandam pervenire possemus, quae a consensu pendent inter organa sen-

suum, & caeteras corporis partes, quae nervos a communibus radicibus mutuantur?

Haud equidem ignoro hanc, quam vobis generatim proposui, nervos secandi, & investigandi methodum scientiae plurimum, & dexteritatis in rebus anatomicis exposcere; proindeque tyronibus nimis difficultem futuram, quos elementaris institutio cogit nervos in cadaveribus eo ordine perscrutari, quo ab auctoribus describuntur, singulos nempe, & seorsim. Verum, ubi aliquanto fuerint exercitati, hortor, ut plures simul nervos administrandos suscipiant, multiplices ipsorum coalitus, & novos inde emergentes ramos considerent, & videant aliquando nova rerum specie percussi quantum ex hac secandi ratione utilitatis emergat ad clariorem nervosi sistematis ideam animo concipientiam.

Jam vasis quoque, & humoribus, quem
ad-

admodum nervorum spiritu , per corpus
cuncta irrigantur ; sed de sanguiferis nondum
dico ; antequam enim irriguas venas , &
multiplices humorum meatus proponam, expec-
tatis opinor , ut horum etiam scaturigines ,
& conceptacula , atque ipsas sanguinis offici-
nas , viscera expediam . Nec levis operae
pretium est qua quaevis parte gignantur in
corpore , qua partium fabrica , quo omnipa-
rae matris ingenio tot liquida humorum to-
tis visceribus eliquata consistant , tamquam e-
nodatis structurarum mysteriis , ostendere . Qua
etiam in re eo in primis utemur saeculi di-
cam , an artis jure , ut nec dare quicquam
opinionum auctoritatibus , nec rationis arbi-
trio quicquam demere videamur , si forte
quae hactenus frustra procerum industria
tentata sunt , mutatis paullulum administratio-
num figuris , & ad naturae normam redactis
dissectionum rationibus , assequamur .

Jure equidem opinor, & antiquo, & communi hominum more, receptum est, resupinato cadavere, moliri ventrem, thoracem, & corporis intima reserare, ut latititia intus viscera, tamquam amotis repagulis, patefiant. Num vero putatis jacentes hac ratione viscerum formas, atque ipso ponderare depressofiguras egregie e natura representari? At latet interim aversa facies in dorsum, atque lumbos, nec quae sit retro forma, circuitus, magnitudo, qui fuerint stantefines, amplitudo, contactus appareat: quae omnia profecto quamquam ex viscerum forma, atque ipsis locorum capacitatis solent ad numerum, mensuramque describi, tamen veritatem sedulo requirentibus per velim ego sensu magis, quam conjectura, oculorum magis quam mentis judicio determinari. Quam ob rem, perspecta jam toties viscerum thoracis, abdominis, qua anterius apparel, se-

de, figura, cur non & in pedes cadaver erigimus, & ducta in tergus, in lumbos secundum spinam sectione, & postica horum, quae in pectore, quae in ventre sunt, & magnos vasorum truncos, & ramorum flexus, & nexus, & incessus, & numerum per lumbos, & sacri ossis confinia contemplabimur? Dicam ego, & de me libere dicam, quam multa ex hoc novo rerum spectaculo, & scitu jucunda didicerim, & ad usus artis in medicis, in chirurgicis utilissima.

Profecto non esse eamdem viventis hominis, nedum erecto eo, vel decumbente, sed ne stantis quidem, aut gradientis, aut requieti viscerum sedem, aut mutuam terminationem, illud ante omnia demonstrat, quod alternis respirationum vicibus, aut alvo cibis conferta, modo deprimi viscera, modo attolli necesse sit; sive enim cibo, seu ducto in pulmones spiritu, viscera inflantur, perspi-

euum est , multa intus cogi in angustum ,
multa circum extra verti , eademque , mutata
mole , figura , finibus extumescere ; quae si
quidem omnia ad sensum innotescunt , tum
illud quoque ratio convincit futurum operae
preium , ut modo , erecto cadavere , modo aë-
re in pulmones inflato , & depresso per ar-
tem diaphragmate , quid mutationum intus
contingat inspicere , & contemplari conemur .
Num vero de corpore exempta viscera cre-
damus tuto , & utiliter deponi in tabulas ,
& positu in planum aequato ordinari ? Foe-
mineas generationis partes , tanquam multipli-
ci ramorum propagatione inter se distantes ,
& diductas , si in tabulam complanaveris ,
mutatis flexibus , positu , directione , intelli-
get nemo quae sit vera in vivente foemina
& vaginae inflexio , & oris uteri positio ,
qui nexus uteri cum intestino , & vescica ,
ligamentorum in angusto quam magnus cir-

citus , flexus , adhaesio . In maribus vero quae urethrae curvatura , quae muscularum origo , finis , insertio , sanguiferorum , nervorum qui incessus , quae circumflexio , quam multae , quam variae copulationes , quam circum undique multa per varios casus chirurgis , medicis , lithotomis maxime necessaria . Quid hepar , quid pancreas , & renes commemorem ? quid referam errores multos , & graves , evulso e suis sedibus corde , de positu , de actione , de motibus in organo vitae principe in physiologia passim effusos ? At cerebri improvida extra cranium administratio , divulsis multis , compressis , loco motis , labefactatis in mollissimo viscere , quam multa turbavit , quam omnia penitus obscuravit !

Quapropter hanc quoque in administrationibus mutationem jure a nobis proponi intelligitis , quam saepe experti , nec multo

difficiliorem, nec sine magno jucunditatis fructu fore proponimus. Quemadmodum enim in abdomen in caeteris, sic quoque in pelvi, excisis in latus partibus, possunt intima in loco, immota sede, figura, nexibus patefieri; ita resectis costarum repagulis, intacto circum diaphragmate, apparent intus & cordis, & praecordiorum, & pulmonum volumina, & fornicati thoracis anfractus, & magni vasorum ductus, & suis quaeque connexa locis, quae possis facile simul oculis, simul manu pervestigare. Nec difficilius adyta cerebri latibrosis cuniculis concamerata, perruptis circum cranii carceribus rimari molliter haerentia loco, & perlustrare licebit.

Quae dum memoramus, Auditores, nolite arbitrari id nobis esse propositum, ut abrogata veteri dissectionum disciplina, inconditas vobis leges, & tamquam immutabiles sectionum formulas novandi quadam intempe-

rantia obtrudamus. Imo & probamus omnia, quae instituto veteri recepta sunt, & commendamus quam maxime, sed haec practerea indicamus, ut sciatis non modo licere, sed oportere etiam, atque e re fore haec omnia multimodis, sus, deque versari, nec ullam tam certam, perpetuam in his hactenus haberi rationem, quae nequeat, pro re natâ aliquando, atque etiam saepe, in melius mutari.

Nec novum id, inauditumque in re anatomica praeceptum putabis, cuius usu haec nostræ artis quantacumque facultas est paulatim crevit, atque coaluit, excogitatis nempe in diem tentaminibus, experimentis, periculis feliciter iteratis. Cujus olim auctoritatem methodi quum pervidisset magni ingenii vir Nicolaus Steno, de cerebro differens, anatomicorum sui aevi consuetudinem improbat ostendens nobilissimi hujus visceris fabri-

cam minus tunc temporis fuisse perspectam, quod prosecutores receptis antiquorum secandi, & administrandi cerebrum formulis ita inhaerebant, ut vel minimum mutare religioni ducerent.

Stenonis praeceptum non modo cerebri, si quid ego judico, sed & caeterorum viscerum, & organorum fabricam per anatomen investigandam respicit, quarum rerum scientiam quantum statutae quaedam, ac receptae in Scholis dissectionum formulae retardarint, quantoque cum fructu nostris temporibus ab iisdem fuerit discessum ignorat nemo, qui in anatomicorum inventorum historia sit versatus. Id enim testantur quae de partibus genitalibus in utroque sexu Morgagnus, de tunicis intestinalium, & valvula coli Albinus, de foramine ovali, de valvula Eustachii, de fabrica omenti, de diaphragmatae Hallerus, de vescica urinaria Camperus, de gradio

ute-

utero Hunterus, de aure Cassebomius, Cotunnius, de oculo Zinius, de nervis Mekellius, Asch, Walterus detexerunt, aut illustrarunt, quos porro omnes Cl. Viros novas in eorum disquisitionibus secandi rationes adhibuisse compemus. Pharingem olim ad Valsalvae usque tempora e sua sede ablatum ita administrare consueverant anatomici, quasi aliquid a palato sejunctum natura esset, atque distinctum. Nova Vir Cl. adhibita secandi ratione comperit palatum molle ad pharingem, veluti ipsius appendicem, pertinere, tum & duos utrinque musculos transversim rescindere, qui pharingem a palato molli separabant. Laringem nova methodo rimari coepit Morgagnus, qua multa eorum, quae jam obsoleverant, in lucem restituit, nonnulla detexit. Narium internarum sectionem plane novam molitus fuit, qua nasi interni formam, anfractus, & meandros, ossium turbinatorum numerum,

& sedem, canalis nasalis directionem, & exitum intra nares suis observationibus illustravit.

Quod si liceret nostros hic qualescumque memorare labores, addere possem nuperrimas *de primo pari nervorum cerebri*, & *nervo novo naso-palatino* observationes, quas brevi publici juris faciam. Consueverant enim anatomici, irrito conamine, nervea paris primi filamenta intra nares perquirere supra membranae pituitariae faciem narium cavitati obversam, qua nimirum pulposa, & glandularis ipsius membranae substantia obstat quominus tenuiora paris primi filamenta perspici queant. Aliam propterea sectionis rationem adhibendam a me fore intellexi, atque quaerere institui num aptius, & commodius esset nervea paris primi filamenta investigare retro membranam pituitariam, qua nimirum facie osseis narium parietibus, medio

celluloso textu, adhaeret. Res votis successit, propterea quia magnum ibidem offendit nerveorum filamentorum e pari primo apparatus, e quibus organum olfactus immediatum late per nares diffusum constituitur. Eadem prorsus sectionis ratione usus nervum novum e pari quinto, quem *naso-palatinum* appellabo, detexi. Quae profecto omnia non ea de causa dicta velim, ut mediocritatem meam vobis extollam, sed ut ostendam quanti egomet ipse Stenonis praceptorum fecerim, & faciam tamen, tum ut ulterius confirmem quantae utilitatis sit in rebus anatomicis a receptis dissectionum formulis aliquando recedere, sive ad ea illustranda, quae non satis nota sunt, atque perspecta, sive ad anatomicam scientiam novis inventis locupletandam.

Quae dum commemoro, Auditores, intelligitis me historicum magis agere, quam praceptorum. Nil enim est, si quid video,

in scientiis , & artibus aut inventum , aut perfectum feliciter , quod non his ausis felicibus debeatur . Mutandis nempe artificiorum rationibus stat omnis artium , omnium quaecumque est , ulla perfectio . In re autem anatomica , quae revelandis bestiarum extis , atque praecordiis multis jam saeculis steterat , tum tandem aliqua lux veritatis , & certae cognitionis effulsit , quum reserari intus viscera , exscindi membranas , fibrillas , nervulos coeptum est , queis incitata magis prosectorum curiositas eo ad extremum processit , ut , novis adhibitis artificiorum rationibus , repere in intimos fibrarum recessus tentaverit , & inconspicuos venularum meatus ausa sit , injectis intus liquoribus , perlustrare .

En vobis magnum arcanae subtilitatis mysterium , in quo sibi placet , in quo sibi nunc plaudit , & jure laetatur anatome .

Quum nempe, injectis per artem liquoribus,
qua nec manus pertigerat, nec acies oculi
se penetraverat, innumerae invisibilium ca-
naliculorum congeries, agmina, glomeratio-
nes, miro spectaculo, apparuerunt, tum vero,
tamquam sublato naturae velo, reserata sunt
omnia, extulere se in lucem mirifici vasculo-
rum reptatus, anastomoses, copulationes,
inanis demum parenchimatum nomina eva-
nuerunt.

Quemadmodum vero in perspicillis miri-
ficae illae insectorum myriades, & inanibus
ad speciem spatiis se conspiciendas dede-
runt: sic per injecta, non modo pertenuia
hic illic, tamquam tubolorum filamenta,
emicuerunt in solido, sed omnia irrigua,
meantia fistulis inventa sunt, vasculorum
plena, conferta, conterebrata meatubus, ut
in evanidam tubolorum exilitatem itura om-
nia viderentur. Quo factum esse putandum

est (ut praeteritarum quoque rerum memoria obiter recolamus), ut , prolatis in lucem Ruyschianae artis miraculis , in eam sententiam anatomici maximam partem descendarent , humanum corpus , membranas , musculos , viscera , ne ossibus quidem exceptis , glomeratis innumerorum , atque pertenuium vasculorum ramusculis coalescere ; nil esse plenum in corpore , nil caecum , nil invium , & humorum liquoribus inaccessum , sed vasculis , fistulis , tubulatis meatibus plena omnia , conferta , fibras , membranas , cartilagines , ossa meantibus intus liquidis maximam partem coalescentia . Quam ego quidem sententiam , quae rerum argumenta refellant , non possum satis dicere hoc loco . Sed illud tamen confirmo , novandis methodis , mutandis veterum institutis hanc nobis mirificae artis industriam stetisse .

Sed quoniam mutando multa inveniri ,

perficiundo firmari eadem necesse est ; idcirco illud vos ante omnia admonendos opinor, ne , aut perfectam hactenus , eamdemque certam , & indubiam hanc artis partem , quam ab injectionibus nominant , reputetis , nec ejus effectu haberi certam undequaque , & perpetuo rerum demonstrationem , exemplam labe vitiorum omnium , & errorum existimetis .

Profecto sim nimis multus , Auditores , si omnia recenseam , quae quamquam injectionibus diligenter tentata , tamen quaesita adhuc carent demonstratione . Famigerata illa est , atque apud omnes nobilis quaestio de glandularum structura , num glomerata constent vasculorum congerie , num in folliculum intus circumrepentibus extus vasculis concameratae excaventur ? Nempe arteriarum secernentium extremitates , & excretorii canalis initia num receptaculum quoddam in-

tercipiant, an arteriarum earumdem extremitates non intermissa continuitate in ductum abeant excretorium? Sunt inter physiologos sane non pauci, qui hanc alteram sententiam per injectiones demonstrari posse contendant. Sed, seposita aliquantulum auctoritate, & partium studio, quaeram ab illis, qui in re anatomica non aliud, ut demonstratum, admittunt, quam quod oculis usurpari potest, quaeram, inquam, num ex eo, quod injecta materies ex arteriis viscerum, & glandularum secernentium partim in venas reddit, partim in ductum abit excretorium, satis inde demonstratum esse arbitrentur arteriarum extremitates in organis secernentibus itinere non intermisso, nulloque medio conceptaculo in ductum excretorium elongari? Nonne idem omnino contingere posset, si criptae, si conceptacula minima adessent media inter secernentium arteriarum oscula, & excretorii

duc-

ductus initia? Sane non adsunt, si lubet conjectari, media haec receptacula in organis secernentibus, sed neque satis inde causae est, ob quam Ruyschianam sententiam, ut omnino per injectiones demonstratam, amplectamur. Quod si nonnulli observationes in medium afferrent viscerum, aut glandularum, in quibus, post repleta vasa quam felicissime, tum & ductu simul excretorio, diuturnaque maceratione, ablutione, erosione, membranis, & celluloso textu ablatis, arteriarum extremitates in ductum excretorium elongatas possent exhibere, reponerem, Auditores, neminem me magis cupidum fore, ut talia aliquando ostendantur, sed vereri quammaxime rem nondum ad tantam subtilitatem perductam esse, neque talia praeparata in celebrioribus anatomicorum Museis reperiri. Quod ea potissimum de causa dico, ut diligentiam vestram ultro excitem ad hanc spar-

tam suscipiendam , neque interea quidquam
in anatome pro certo accipiatis , quod non-
dum fit demonstratum .

Quae de organis secretionum in genere
dicta sunt , quorum fabricam penitorem ,
organumque secretionis praecipuum evolvere ,
ac demonstrare subtiliores hucusque cognitae
injectiones haud omnino sufficient , eadem
profecto dicenda sunt de medullari cerebri
substantia per injectiones indagata . Cerebri
enim cortex , quando vasa rite , optimeque
repleta sunt , nonnisi ex vasis constare vide-
tur . Vasorum eorumdem subtiliores propa-
gines , qua facie cortex medullam spectat , in
tenuissimam abeunt lanuginem vascularem ,
quae in suppositam medullam cerebri se
dimittit . An ergo deducendum est , quem-
admodum nonnulli docuerunt , medullam ce-
rebri , & tubularem esse , & cinereum sub-
stantiae vasis coalescentem , tum & modo

memorata vascularis lanuginis filamenta illos,
eosdemque tubulos constituere, qui secretum
in cortice aethereum spiritum excipiunt, at-
que ad nervos traducunt?

Quicumque rem attentius examinare, ac
perpendere voluerit, facile intelliget mollem,
ac tenerrimam medullae cerebri texturam
longius distare a corticis memorata nuper
lanugine vasculari injectae ceraceae materiae
meabili; quae porro lanugo non aliam for-
tasse ob causam, ut ait Albinus, medullam
cerebri subit, atque eam qua vasa pene-
trant intra ossa.

Porro neque purum, putumque sanguinem
a matre ad foetum meare subtiliores
quaeque injectiones, in nostro saltem gene-
re, hucusque satis manifesto, patefecere.
Ostendunt quidem injectiones uteri vasa ge-
stationis tempore in placentam elongari; imo
eam placentae humanae partem constituere,

quae utero adhaeret, quaeque per injecta uteri vasa repletur, vacua remanente altera placentae parte, quae umbilicalis funiculi propago est, atque ad foetum peculiariter spectans; quam ob rem fit, ut dum placentta repletur simul per vasa uteri, simul per umbilicalem funiculum, zona veluti quaedam inter duo vasorum systemata injectione vacua remaneat, quae utrumque vasorum ordinem, eorumdemque limites definit. Sit ne vascularis, aut cellularis simpliciter in nostro genere media haec substantia, quae secundinam humanam, non secus, ac in brutis, in duas dirimit partes, *maternam* nimirum, & *foetalem*, non possumus satis definire, neque lubet inter conjectaras fluctuare. Si quid tamen lucis super hac re observationes ex anatome comparata desumptae offundere queunt, non omnino fortasse inutile erit quidquid de hac re nuper adnotaverim vobiscum communicare.

In porcellis indicis ea est cotyledonis fabrica, ut materna ipsius portio papillam excipiat foetalis placentae forma ab humana non absimilis. Neque sua deest in his animalibus decidua membrana, qua cotyledonis antica facies, papilla, & foetalis placentae postica sedes cooperiuntur, unaque simul alligantur. Vasa uteri in porcello proxime cattulos editura cum repleverim, repertum est injecta uteri vasa ex maternae cotyledonis cavitate in exceptam foetalis placentae papillam manifesto transiisse, totamque placentam ad funiculum usque umbilicalem eadem materia repletam fuisse, rubroque colore infectam: indicio satis manifesto patulam in hoc animali, atque adapertam esse viam humoribus a matre ad foetum. An & in cacteris quoque animalibus, tum & in homine vasorum uteri cum foetali placenta anastomosis longe manifesta est, & sanguini meabilis,

quo magis ad ultimum accedunt gestationis tempus? Res est, quae ulteriorem exposcit indaginem, vestræque sedulitatis, & industriae non indigna.

Sed, ut unde discessimus revertamur; summa haec est praecipuarum rerum, quae satis nondum per injectiones fuerunt demonstratae, quaeque accuratam magis, & assiduam perquisitionem exposcunt antequam de iisdem quidquam pro certo affirmare valeamus. Cui porro perquisitionum generi dum operam dabis, illud sedulo vobis curandum erit, ne vitio administrationis incauti hallucinemini.

Vitia autem injectionum praecipua duo sunt; nimia siquidem, & praeternalis vasorum repletio; injectæ materiae de vasis effluxus, atque circum effusio. Cognitum, atque perspectum est in felicissimis quibuscumque injectionibus repleta vasa ultra na-

turae modum distenta, ut plurimum, reperiri, longeque majorem sanguinis, aut lymphae copiam videri admittere, quam fit secundum naturam. Vis enim, qua utimur in replendis vasibus, aegre, a viris etiam in hac arte multum exercitatis, ita pro partium mollitie, vasorum tenuitate, & subjectorum diversitate temperari potest, quin repleta vasa ultra naturae modum non turgeant, vel nimium aliquando in ipsorum extremitatibus distenta, aut disrupta impulsu liquorem in circumpositum cellularem textum effundant. Quorum alterum incommodum, quamquam vix, ac ne vix quidem omnino praecaveri queat, tamen usus, & sedula exercitatio reddet artificem paratiorem. Alterum, nempe injectae materiae exundatio, atque effluxus, gravissimos saepe in errores inducit vel exercitatos in hac arte prosecutores, nisi summa diligentia in replendis vasibus, tum in secundis, scrutan-

disque partibus incumbant. Fit enim non raro, ut ii, qui haec inconsiderate, & oscitantur tractant, id, quod effusum est in tenerioribus praesertim, subtilioribusque partibus, pro repletis vasis accipient, vel, & in vivente, secundum naturam humores ibidem effundi, & similia horum contingere arbitrentur.

Quem porro casum mirati, qui Lienis vasa, injecto liberalius humore, implevissent, id protinus e natura fieri docuerunt, effusum nempe ab arteriis sanguinem in cellulis elaborari antequam redeat in venas; quod tamen negat certo iterata, modo lenis, & diligens, in Liene injectionis administratio. Nec secus videoas in Pulmone, quo, nisi magna adhibetur in replendis vasis diligentia, injectus liquor facili negotio in cellulosum interlobularem textum effunditur. Certo tamen constat hanc viam neque sanguini in vivente,

te , neque injectionibus in cadavere patu-
lam esse, si rite haec, accurateque fuerint in-
stitutae .

Porro & in intestinis componentium
tunicarum laxitas , & interpositi cellularis
textus levis cum membranis cohaesio , atque
ductilitas injectae materiae effusione occasio-
nem praebent , nisi leni admodum vi impel-
latur . Ruyschius , summus certe in arte in-
jectandi vir , quum venas intestini humani
admodum implevisset , faciem ipsius interio-
rem plenam vedit tuberculorum rubrorum ,
quae etiam remanebant intestino exsiccato .
Papillas nerveas esse existimavit Vir Cl. ,
quarum vasa fuissent repleta . Re attentius
explorata , compertum fuit papillarum spe-
ciem vitio impletionis deberi , liquorem
nempe in venas nimis urgendo de earum
propaginibus , quae in villis sunt , effluxisse ,
coercente tunica externa villorum .

Neque infrequens est in felicissimis ,
quas appellant , injectionibus impulsi liquo-
ris effusio in caeterorum quoque viscerum
cellulosa , in cutis textu , intima corroideae
oculi tunica , pituitaria nasi membrana , lin-
guae superficie , inter ossium lamellas , &
cellulas meditullii , inter muscularum demum
tenuiores fibrillas , quo fit , ut modo memo-
ratae partes , vel intense nimium , & ultra
naturae modum coloratae appareant , vel tu-
berculorum , papillarum , villorum speciem ,
& novos aliquando vasorum ordines , glome-
rationes , & reptatus praeseferant . Cuticula ,
inorganicum corpus , & vasis destitutum ,
post subtiliores cutis injectiones aliquando
ita imponit , ut facile crederes deprehendi in
ea repleta vascula extrema . Verum , re dili-
genter examinata , reperimus , docente Albino ,
vascula haec cuticulae propria non esse , sed
papillarum subjectae cutis , e quibus ali-
quando de injecta materie aliquid erumpit ,

quod , detracta deinde cuticula , vaginis papillas continentibus adhaeret specie vasculorum .

Sed , praeter haec omnia , ea quoque inter errores , qui ex praepostera administratio- ne , & vitio effusionis in anatome derivarunt adnumeranda esse censeo , quae jamdiu de fabrica , & usu glandularum lymphaticarum , deque lymphae ductuum multiplici cum san- guiferis vasis anastomosi fuerunt proximis temporibus evulgata . Docebant siquidem lym- phatica vasa serosum laticem effundere in textum cellulosum glandularum conglobata- rum , ut tenuiori ibidem recepto , admixto- que rore lymphae dilutior , & fluxilior de iisdem glandulis emanaret . Hunc errorem fovit injectio mercurii per advehentia lym- phatica vasa , qui , dum nimis urgetur , valvu- las disrumpit , seque in cellulas glandularum exonerat . Sed nil magis certum est , quam lymphatica vasa , cum in universo corporis

ambitu, tum in congregatis glandulis, lympham non effundere in textum cellulosum, sed ab eodem absorbere. Cujus instituti causa ex cellulis glandularum congregatarum tenuia insurgunt lymphatica vasa, quae secretam ibidem lympham recipiunt, eamque lymphaticis ductibus per glandulam traductis effundunt, qua nova subtilioris liquidi accessione, lympha ab inferioribus partibus importata fluxilior de glandula prodit. Id confirmant injectiones scite, accurateque institutae, per quas non effluit de vasis injecta materies, tametsi evehentia e glandulis lymphatica vasa repleverit, in quibus porro glandulis id omne, quod globularis, & infarctae cellularis substantiae speciem praesefert, aliud nil est quam lymphatica ipsamet vasa mirabili ratione in se convoluta, atque glomerata. Secus enim necesse esset duplex, & oppositum simul assignare munus lymphaticis vasibus, alterum nimirum advehendi intra cel-

lularem, alterum ab eadem revehendi, quod profecto & observationibus, & naturae instituto in construendis lymphae ductibus repugnat.

Vulgatam sententiam quod spectat de vasorum lymphaticorum cum venis sanguiferis anastomosi, notatu valde dignum esse arbitror lymphae ductus, neque paucos, neque infrequentes esse, qui arcte, & pressè adeo sunt venis sanguiferis alligati, simulque coaliti, ut, disruptis aliquando pondere urgentis mercurii utrorumque vasorum tunicis, effluat de lymphaticis in venas rubras mercurius absque ullo externo effusionis vestigio. Non naturalem hanc communicationem potissimum fuisse causam arbitror, ob quam Meckelius, dum viveret Cl., detexisse sibi visus sit non omnes lymphae ductus canalem thoracicum petere, sed esse nonnulla lymphatica vasa, quae in itinere in proximas venas rubras se immittant, absorptamque lympham breviori via sanguini affundant. Fateor me quoque

talia aliquando videntem in eumdem cum Meckelio errorem iturum fuisse, nisi Hessonii nuper Cl. super hac re animadversiones coëgissent rem attentius examinare.

Mitto de illorum lapsibus verba facere, qui venas rubras sanguine vacuas, & pellucentes pro lymphaticis, aut peculiaribus quibusdam ductibus habuerunt. Memorasse sufficiat celebrem illam controversiam inter Coschwitzium, & Hallerum de ductu salivali novo, quae Nukius de ductu lymphatico ex pineali glandula exeunte, quae Valsalva de vasis lymphaticis retinae, & nervi optici, de vase ejaculatorio volatilium e renibus succenturiatis orto, quae nuper de vasibus lymphaticis prostatae, & cervicis vescicae urinariae, aliaque id genus, quae pene obsoletarunt, & taedet recensere.

De vitio administrationum ob injectae materiae effusionem, quod superest, sciscita-

bitur fortasse aliquis, Auditores, quanam id ratione queat praecaveri, & si forte id incommodi acciderit, quanam ratione valeamus non naturalem vitio effusionis partium fabricam a naturali distinguere: Praecavemus injicienda materiae effusionem partes sanguine prius abluendo absque diurna nimis maceratione, sed laxando tandem in tepida, quantum satis sit ad fluiditatem quamdam retardato in vasis sanguini restituendam, ut leni pressione, & impulsae per arterias cereaceae materiae ultiro, facileque recedat sanguis, seque in majores venarum trunco recipiat. Injicienda porro materiae fluiditas determinanda est pro ratione laxitatis repleendarum partium, & tenuitatis vasorum. Vis demum impulsionis ita in singulis injectandis partibus temperanda est, ut imitari, quoquo modo, videamus vim, qua sanguis unasque partes petit, alluitque. Quod si nihilominus effusio aliquando contingat, injectae-

que materiae summa sit fluiditas , de errore nos statim admonebunt lymphatica vasa in visceribus , quae turgere incipiunt , idque ulterius confirmabit diligens , & accurata dissectio textus cellulosi , quo vasa simul revinciuntur , tum , & in caeteris , sedula comparatio earumdem partium secundum naturam se habentium , deque earumdem obeundis muneribus consideratio .

Sed neque ex minus felici injectione , si quando contigerit , fructum laborum vestrorum amittatis velim , Auditores , nec propterea ea ipsamet praeparata negligatis , quod effusam in ipsis injectionis materiem conspicietis . Non enim fortasse inutilem in rebus pathologicis operam collocarent , qui ex anatome perdiscerent , & ad certas quasdam classes redigerent eas humani corporis partes , in quibus impulsus per arterias liquor facilius , quam in caeteris , de vasis effluit , &

in

in circumpositum cellularem textum se effundit. Multa, nisi plurimum fallor, ex harum rerum cognitione illustrari posse arbitror circa illorum morborum naturam, & phoenomena, quae ab humorum affluxu pendent ad partes, quarum laxa plus, minus, in sanis etiam, textura prouum magis, aut minus in vivente homine reddit humorum ab impellente, & aucta a tergo sanguinis vi in cellulosam effluxum. Neque porro spernendae utilitatis fore censeo morbosa, obstructa, & mole nimium turgentia viscera, injectis intus liquoribus aliquando rimari, ut, num hisce in morbis vasorum praeternaturalis constrictio, & immeabilitas, an vero nimia eorumdem laxitas, & dilatatio auctae in obstructis visceribus molis, tum redundantis crassae nutritionis, ac simul perturbatae in his secretionis, aut functionis cuiusque causa sit, clarius, certiusque, iteratis hujuscemodi periculis, innotescat.

Caeterum, in anatomica vasorum humani corporis administratione, non magis sollicitos vos esse velim de investigandis per injectiones minimorum surculorum reptatibus, quam de cognoscendis majorum ramorum origine, sede, atque incessu; in quibus profecto videntur anatomici serius, quam rei dignitas, & utilitas postulabat, eorum sollertia, atque operam collocasse. Ruyschius equidem, & Albinus, cum tam magni essent injectionum artifices, majorum humani corporis vasorum historiam vix quicquam auxerunt: in eo nempe nimis occupati, ut, resectis de sua sede partibus, & mirifice praeparatis, lagenas replerent, afferentes exornarent; proindeque elegantes quosdam arteriarum fines, reticulata opera, & penicillos artificiose administrarunt, ramorum vero, qui ab Aorta, tanquam trunco, per membra, musculosque feruntur, historiam minimum locupletarunt. De quorum porro majorum vasorum dissec-

tione monendi estis, me illorum consilium, & secandi rationem, ut valde deficiente, rejicere, qui vasa de corpore ablata, quemadmodum de nervis quoque praediximus, supra tabulas disponant, ut totius Angiologiae imaginem exhibeant. Eam methodum, ut potiorem, utilioremque vobis sequendam propono, qua repleta vasa majora totius corporis, ablatis, aut deductis, pro re nata, musculis, & visceribus, in naturali, quantum fieri possit, eorum sede, & incessu conspici queant, ipsisque fulcrum veluti sit naturalis ossium compages.

Haec habui, Patres Sapientissimi, Auditores Ornatiissimi, quae de promovendis anatomicarum administrationum rationibus in hanc hodie lucem proferrem, quae si magna Vobis, multa, & perardua visa sunt, unum precabor, ut ne vitio mihi, quod in magnis versamur rerum difficultatibus, tribuatis. Vobis, Adolescentes, id unum edico, eri-

gite animos , incumbite diligenter , scitote post tot , tam magnam praeteritorum hominum gloriam , magnam adhuc superesse partem laboris , sed plenam quoque fructus mercedem , & uberrimam messem laudis satagentibus esse propositam . Quod superest faciam ego , quoad potero , ut diligentiam , studium , sedulitatem , patientiam , quod meum est , Vos nunquam frustra quaesiisse , nunquam a me Vobis defuisse profiteamini .

F I N I S .

Erratum

Corrigē

Pag. 16. lin. 20. *adnexi = lege* adnexi modo thoracis,

T I C I N I .

Typis R. & I. Monasterii S. Salvatoris

Superiorum facultate.